DISSERTATIO IVRIDICA
DE

POENITENTIA IN CONTRACTIBVS INNOMINATIS.

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE

FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONE BRANDENB. ET ELECTORATVS HEREDE,
ac reliqua,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Conſentiente illuſtri ICtorum Ordine

IN FRIDERICIANA HALLENSI

PRAESIDE

CHRISTOPHORO CELLARIO,
Iur. Vtriusque Licent.

publicæ disquiſitioni ſubmittit

IOANNES HENRICVS Weißhaupt/
Lignic. Sileſius.

D. XXV OCTOBR. CIƆ IƆC IC. H. L. Q. S.

Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.

Digitized by Google

Digitized by Google

INGRESSUS.

ITa hominum conditio a ſapientisſimo creatore ordinata eſt, vt vix quisquam inueniatur, qui alterius ope & auxilio non indigeat. Sunt enim homines, vt Cicero ait *lib. 1. de Offic. cap.* 7, hominum cauſſa generati, vt ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe posſint. Atque eapropter mirifice a Deo O. M. bona diſtributa ſunt, ne cuncta quilibet, quibus opus eſt vel delectatur, ipſe posſideat, ſed vt, quæ alteri deſunt, ab altero petere neceſſum habeat. Quum vero officia humanitatis atque eorum præſtatio partim ob conditionem ejus, qui vtilitatem exhibere debet, partim hujus, qui eam expedit, partim etiam ipſius rei quæ deſideratur, ad ea omnia, quæ homines a ſe inuicem vtiliter expectare poſſunt, accommodari nequeant, pacta exorta ſunt, quibus eum perfecte quis ſibi obligare poteſt, quem humanitatis officio imperfecte obligatum habet. Effectus enim pactorum de Iure naturali eſt, vt obligatio eo iure efficax naſcatur, quo alterum ad fidem in promisſione datam ſeruandam adigere poſſum, Molina *de I. & I tr. 2. diſp. 257.* Breſſer. *de Conſcient. lib. 6. c. 18. n. 242.* quum vinculum pactorum fides ſit, Hobbes. *de Ciue cap. 2. n. 1*, quam cum *Platone lib. 5 de LL.* ſocietatis humanæ fun-

 damen-

damentum eſſe putamus. Vnde non inepte dixeris, pactum inter priuatos id eſſe, quod lex in ciuitate ſeu Republ. Eſt itaque pactum modus ſeu inſtrumentum, vt ita dicam, iuris naturalis, quo producit obligationem naturalem, quæ ſolo conſenſu & ſimplici conuentione contrahitur. Ex quo manifeſtum eſt, de Iure naturæ omnia pacta vnius eſſe efficaciæ, ita vt nulla differentia, quod ad vim obligandi, illo iure appareat. Quapropter omnes pactorum diuiſiones, quotquot in Iure noſtro habentur & effectu a ſe differunt, ex Iure Ciuili deſcendunt. Multa enim circa conuentiones ciuium Romani ſibi permiſerunt, ita vt nonnullis aſſiſterent & auxilium præberent, quæ idcirco plenam vim & efficaciam habebant, vt paciſcens a promittente etiam in iudicio exigere poſſit pacti implementum: aliis contra ſub ſimulato prætextu ſalutis publicæ, vt ſcilicet eo magis occaſio litium præſcindatur, (vid. Ames. *de Conſcient. l. 5. c. 41. n. 13. & 15.* Edmund. Merill. *lib. 1. Obſ. 39. fin.*) illud denegarent. Vnde factum, vt pacta, quæ auxilio deſtituebantur, *nuda* dicta ſint, reliqua vero, quibus adſiſtebant, *non nuda* ſeu *veſtita*. Atque hæc vel *contractus* ſunt, vel *pacta legitima*, vel *adiecta*. Contractus autem iterum diſtinguebant in *nominatos & innominatos*: illis plenam & perfectam obligationem tribuebant, non autem his, niſi traditione aut facto contractus impletus fuerat aut ab vtroque, aut etiam ab vna parte tantum, ita tamen, vt is, qui a contrahente rem promiſſam nondum acceperat, facultatem pœnitendi, & id, quod iam tradiderat, repetendi haberet. De hac igitur Contractuum diſtinctione, eiusque ſingulari effectu, quatenus in Iure Romano fundata, & quatenus in praxi etiam hodie locum habeat, præſenti diſſertatione pro modo ingenii, inquirere conſtituimus.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT I.

DE ORIGINE CONTRACTVVM INNOMINATORVM, EORVMQVE DESCRIPTIONE AC DIVISIONE.

SVMMARIA.

1.2. *Verborum explicatio in quantum neceſſaria?*
3. *Contractuum deſcriptio.*
4. *Forma eorum & differentia ſpecifica.*
5. *Diuiſio in nominatos & innominatos.*
6. *Actionum formulæ apud Rom. praſcribi ſolebant.*
7. *Vſque dum Cn. Flauius eas publici iuris fecit.*
8. *A quo tempore in tabula publice expoſita.*
9. *Formularum numerus a Sex. Aelio auctus.*
10. *Actio de praſcriptis verbis vnde dicta?*
11. *Contractus cur alii nominati, alii innominati?*
12. *Ipſa hæc vocabula in ff. non occurrunt.*
13.14. *Nomen Contractuum idem eſt ac formula.*
15.16.17.18.19.20.21. *Reiicitur vulgaris ſententia de nomine ſpeciali.*
22.23. *Nec non Hahnii de ſpeciali forma.*
24. *Vt & ipſius Grotii.*
25. *Hennigii ſententia approbatur.*
26. *Deſcriptio Contractus innominati.*
23. *Cauſſa quid ſignificet?*
28. *Quomodo differat pactum contr. innomin. (1) a Tractatibus.*
29. *(2) a pacto nudo abſoluto.*
38 *(3) a pollicitatione.*
31 *(4) a pacto adiecto.*
32 *(5) a pacto legitimo.*
33 *(6) a contractu ipſo.*
34 *Diuiſio contractuum innominatorum.*
35. *Continent etiam negatiuam orationem.*
36. *Et poſſunt per conditionem iniri.*
37. *Numerus quaternarius num augeri aut minui poſſit?*
38.39.40. *Permutatio & Contractus Do vt des an differant?*
41. *Num in effectu aliquid interſit?*
42.43. *An Contractus do vt des ſit ſtricti iuris?*

MOs hucuſque inualuit, Academicas diſſertationes ab explicatione verborum incipere, qui etſi veteribus ICtis etiam proprius fere fuerit, vt Quinctilian. *lib. 5. Inſtit. Or. cap. 14* teſtatur: merito tamen *Gloſſa* monitum *ad rubr. ff. Solut. Matri-*

 mon.

mon. obſeruandum: *Diſputationes verborum pertinacibus, & qui eorum*
2. *anatomias in deliciis habent, eſſe relinquendas.* Non tamen omnis interpretandi modus penitus reiiciendus eſt, maxime quando vel obſcuritas vel ambiguitas ineſt materiæ proponendæ, quum tunc neglectus verborum facile rerum incertitudinem pariat, incertitudo autem neglectum rei, vt tandem neque verba, neque res teneamus. Oldendorp. *Claſſ. Act. For. cl. 4. act. 24. n. 9.* Quapropter etiam nos ab explicatione verborum initium capientes, quæ de *Pœnitentia* vocabulo moneri poterant, tanquam leuia & vulgaria ſilentio inuoluimus, pauca de reliquis addituri.

3. Contractus nomen etſi modo latius, modo ſtrictius, modo proprie, modo improprie ſumatur, vid. Tabor. *in Elem. Iurispr. p. 3. Sect. 4. th. 1. n. 5*, eamque ob cauſſam mire ſe Dd. circa definitionem torqueant: hic tamen illud proprie, diſtincte & generatim, quatenus & Nominatos & Innominatos complectitur, accipi volumus. Sufficit ergo nobis deſcriptio, quod ſit conuentio inter contrahentes efficacem obligationem & agendi facultatem ex ſe & ſua natura producens. For-
4. ma itaque contractuum & differentia ſpecifica, qua a pactis nudis, legitimis & contractui adiectis differunt, conſiſtit in eo, quod contractus ex ſe & ſua natura efficacem obligationem, quod ad effectum agendi, pariant, absque ſpeciali iuris ciuilis confirmatione, §. *2. I. de Oblig. L. 1. pr. L. 2. pr. §. 1. ff. eod. L. 7. §. 1. ff. de Pact.* quum pacta legitima & adiecta non propria vi, ſed ex ſpeciali legis auxilio actionem produ-
5. cant. *L. 6. 7. §. 5. ff. de Pact.* Diuidi contractus a Dd. varie ſolent: nos de ea diuiſione in præſenti tantum agere inſtituimus, qua alii *Nominati* dicuntur, alii *Innominati*, de cuius diuiſionis origine ſecundum vera Iuris Romani principia breuiter ac diſtincte agemus.

6. Nemini facile ex hiſtoria Iuris Romani & proceſſu antiquo ignotum eſſe poteſt, omnes olim apud Romanos actiones ſuas ſolemnes habuiſſe formulas, quibus in foro agi debebat, quæ a collegio Pontifi-
7. cum, in cuius penetralibus Ius ciuile repoſitum fuiſſe Liuius *lib. 9. cap. 46.* teſtatur, præſcribi ſolebant, donec Cn. Flauius, Appii Claudii ſcriba, librum quo & dies faſti, & inprimis actionum formulæ erant
8. deſcriptæ, maximo plebis leuamento & applauſu, publici iuris feciſſet. Atque ex hoc tempore, actiones illæ, quæ in iſto libro continebantur, in fo-

in foro publice in tabula quadam expoſitæ erant, vt omnibus liberum eſſet, formulam, quæ cuiuslibet negotio conueniens erat, deligere at-
que intentare. Sed quum augeſcente ciuitate multa genera agendi de- 9
eſſent, non poſt multum temporis ſpatium Sex. Aelius nouas actiones compoſuit, quas prioribus Flauianis coniunxit. Vid. Excell. Dn. Thomaſ. *lib. 1. de Nev. Iurispr. c. 5.* Hæ igitur formulæ, vti diximus, in Albo quodam propoſitæ erant, quod iam tum a prima publicatione perpetuum fuit, vt recte opinantur Ræuard. *Protrib. cap. 4* & Car. Bretus *in Ord. perantiq. Iudic. Civ. cap. 26*, de quo vid. *Diſp. noſtra Inaugur.*
de Proceſſu Iur. Rom. antiq. cap. 1. n. 21. Sed quoniam formulæ non 10
niſi de certis & quibusdam actionibus eſſent conceptæ, longeque plura obuenirent negotia, quam actionum formulæ ac nomina in Albo eſſent deſcripta, iterum ad ICtos recurri ſolebat, vt formulam negotio conuenientem præſcriberent, quapropter etiam ipſa actio, quam præſcribebant, *præſcriptis verbis* dicebatur. Hotoman. *in Iurisconſult.*
pag. 18. Huber. *prælect. ad ff. de P. V. n. 2.* Vnde factum credimus, 11
vt contractus, qui in hoc Albo certam conſtitutamque formulam ac nomen habebant, *Contractus Nominati* dicerentur, reliqui vero, in
quibus adhuc formulæ a ICtis præſcribi debebant, *Innominati.* Equi- 12.
dem ipſa vocabula huius diſtinctionis in Iure noſtro & legibus Romanis non occurrunt, æqualia tamen, & quæ id ſatis clare exprimunt, in illis leguntur, *e. g. in l. 7. §. 1. 2. ff. de Pact. L. 1. §. 2. ff. de Rer. permut.* &c. in quibus contractus nominati *nomen*, innominati vero non nomen,
ſed *cauſſam* habere dicuntur. Hoc autem nomen, quod nominatis 13.
contractibus in dictis LL. tribuitur, neceſſario de nomine ſeu formula in Albo expreſſa intelligi debet, quod iam olim Dion. Gothofred. *ad rubr. ff. de P. T. litt. o*, innuiſſe videtur, dum ex Hotomanno tradit: *Hæ autem actiones, de quibus hoc titulo agitur, ideo præſcriptis verbis appellantur, quod plenis & integris litteris præſcribebantur, non certa &*
compendioſa formula, ut illæ antiqua. Reſpicit autem ad ea, quæ an- 14.
tecedunt, vbi exemplum ejusmodi formulæ adfert, quod in Rei vindicatione ſolemne erat, A. T. M. D. O. i. e. Aio te mihi dare oportere.
Nam ſi nomen de ſingulari & ſpeciali vocabulo tantum intelligere ve- 15.
limus, prout facit Richter. *tr. de Contract. diſp. 1. theſ. 2. litt. b*, qui plane ob indigentiam latinæ linguæ rerumque nouitatem hanc diſtin-

ctio-

Digitized by Google

ctionem introductam fuiſſe adfirmat, etiam innominati contractus no-
16. minibus non erunt deſtituti. Habet enim & permutatio ſuum nomen ſpeciale, habet etiam ſuam ſingularem & ſpecialem formam, ex qua quis illam perfecte iudicare poteſt, nec tamen eapropter inter contractus nominatos permutatio relata eſt, etſi ad conſtituendum talem contractum hæc duo tantum requirat Coldebac. *d. Controv. de Nat. Contr. diſp. 11. them. 2.* Et quamuis hic vulgariter reſponderi ſoleat,
17. permutationis nomen generale eſſe, quum omnes pene contractus permutatione quaſi perficiantur, contractuum vero nominatorum, v. g. emtionis, locationis, nomina ſpecialia eſſe, quæ ei negotio tantum inſeruiant, in quo res cum pretio permutetur: tamen hanc reſpon-
18. ſionem plane non ſufficere, quilibet facile animaduertet. Quis enim eſt, qui non mox intelligat, ſi quis dixerit ſe hanc rem permutatione accepiſſe, qualis contractus ſit initus? nemo ſane tam ſtolidus erit, vt dubitet, vtrum emerim, aut mutuo acceperim, an vero contractum innominatum celebrauerim, quod etiam ipſe Hahn. *diſſ. de Contract. innomin. th. 20.* agnoſcere tenetur. Et ſi hæc ratio ſufficeret, ad exter-
19. minandum contractum e numero nominatorum, nec mutuum contractus nominatus foret, vt bene obſeruauit Henniges *in Grot. lib. 2. c. 12. n. 3.* Scimus equidem mutuum contractum realem eſſe, qui rebus
20. fungibilibus initur, & vbi rem accipio eandem non in indiuiduo, ſed genere, quantitate & qualitate redditurus. Sed nominis ratio hoc non indigitat. Nam ſi mutuum dicitur ab eo, (verba ſunt laudati Hen-
21. niges) quod ex meo tuum fit, quod ipſe Imperator *pr. I. quib. mod. recontrah.* adfirmat, emtio venditio etiam, erit mutuum, quoniam meum pretium tuum fit, & res tua mea.

22. Hinc alii ad nomen actionis confugiunt, & contractus nominatos eapropter appellatos fuiſſe credunt, quod actionem ſui nominis producant. Sed nec id vniuerſaliter verum eſſe, ſatis abunde docet Contractus Mutui, qui vtut nominatus ſit, ejuſdem tamen nominis actionem ipſi non indulſerunt Romani, quum nemo ICtorum veterum dixerit, ex Mutuo oriri actionem mutui, ſed ejus loco Condictionem certi ſubſtituerunt, quæ etiam aliis contractibus communis eſſe ſolet. Illuſt. Dn. Stryk. *de Act. for. inueſtig. ſect. 1. m. 5. §. 2.* Et quid quæſo obſtaret, quo minus permutatio quoque poſſet producere actionem ſui nominis?

nominis?

nominis? ſane in ſolo arbitrio id fuit LLtorum Rom. qui eadem fa-
cilitate & permutationem, & conſtitutum, & donationem, & transa-
ctionem inter contractus nominatos referre potuiſſent, quum hæc no-
mina non magis generalia ſint, quam mutuum, emtio venditio &c.
Hoc ipſum dum Hahn. *ad Weſemb. de pact. n. 2* animaduertit, inge- 23
nue fateri coactus eſt, *rationem innominatorum non ponendam in no-
mine tantum, re accidentali & externa, ſed veram & primam cauſ-
ſam eſſe, quia nominati non ſtant in ſuo nomine conuentionis nudo,
dandi vel faciendi, ſed formam ſingularem acceperunt.* Sed quænam 24
iſta forma ſingularis, mihi nondum conſtat. Sane & permutatio &
conſtitutum & donatio & alii, certam in iure & ſingularem formam
habent, ex qua quis ſingulos diiudicare poteſt, actionisque cuiusli-
bet adornare formulas, quæ ex contractu reſultant, ſed propterea non
degenerant in contractos nominatos. Nec magis Grotii ſententia nobis 25
ſatisfacit, dum *lib. 2. c. 12. n.* 3 a frequentiori uſu contractus nomina-
tos ita dictos judicat. Si enim idcirco conuentiones nominatæ di-
cuntur, permutatio etiam, quam priſca tempora frequentisſime celebra-
runt, ut hiſtoria teſtatur, & Ariſtot. *Pol. 1. c. 6. Eth 5. c.* 5, nec non Paullus
IC. *L. 1. ff. de Contrah. Emt.* nominatus contractus dicendus foret. Pi-
chard. *ad Inſt. de Act. q. 27. n. 14.* Quare eleganter addit Dn. Henni- 26
ges *cit. l. 2. c. 12. n. 3*, hoc totum negotium pendere ex moribus populi
Rom. quod etiam ipſe *Grotius* tandem fatetur *cit. lib. 2. cap. 12. n. 3*, dum
ait, in contractibus innominatis non communem aliquam & vſitatam,
ſed accommodatam ad ipſum factum, datam eſſe formulam, quæ ideo
præſcriptis verbis dicta fuerit. Add. Huber. *ad ff. tit. de P. V.* Hæc de
origine huius famoſæ diſtinctionis ſufficiant. Nunc de ſignificatione
ſeu deſcriptione ac diuiſione contractuum innominatorum breuiter
agemus.

Deſcribi autem ſolent innominati contractus, quod ſint conuen- 27
tiones, quæ neque certo nomine, neque certa nominataque gaudent
actione, ſed in quibus tantum ſubeſt cauſſa. *L. 7. §. 2. ff. de Pact.* Ge-
neris loco ponimus conuentionem, per *L. 1. §. 3. ff. eod.* in qua cauſſa 28
requiritur, non talis, quæ impellit ad conuentionem ineundam, poteſt
enim etiam ea in nudo pacto eſſe, v. g. dabo tibi equum, vt mihi des bo-
vem: nam hic adiecta eſt cauſſa, cur tibi equum dare velim, nec tamen

eſt

eſt contractus; ſed illa, quæ implementum eſt ab alterutra parte, v. g. ſi vel tu mihi des bouem, vel ego tibi equum, tunc enim protinus fit contractus. *d. l. 7. §. 2. ff. de Pact. l. 15. ff. de P. V.* Ægid. Coretus *de Contract. innomin. cap. 7. n. 22.* Angel. Matthæacius *de via & Rat. Iur. c. 6. n. 28*: vt eapropter rectisſime hanc cauſſam Accurſius *ad cit. L. 7* interpretatus fuerit, *dationem vel factum, ex quo veſtiatur pactio.* Sola enim conventio de rebus permutandis non eſt contractus innominatus, ſed pactum nudum, quod reſpectum habet ad futurum contractum, vel ad obligationem ciuilem mediante contractu conſtituendam. Hahn. *diſſ. de Contract. innomin. th. 5.* Muller *ad Struv. Ex 25. th. 13. litt. a.* Dif-

29 fert autem hoc pactum, quo hi contractus conſtituuntur (1) a *Tractatibus*, quum tractatus nudi ſermones ſint, & propoſitiones ſingulorum, bloſſe Vorſchläge / mentem quidem eorum explicantes, non tamen acceptatæ ab altera parte, aut ſi alterutri eorum non diſpliceant, non acceptatæ finaliter, aut cum animo obligandi, vt præciſe iis ſtetur, quum non omnes, qui de eadem re conſentiunt, ſtatim paciſcan-

30 tur, vt bene monet Io. Bapt. a Cacciolupis *tr. de pact. qu. 1. n. 4.* (2) *a Pacto nudo abſoluto*, quod ex ſe ſubſiſtit, alterius implementum non reſpiciens: quum hoc e contrario reſpectum habeat ad contractum futu-

31 rum. (3) *a Pollicitatione*, quod hæc tantum ſolius offerentis ſimplex promiſſio eſt, nulla ſequuta acceptatione promiſſarii, ſeu eius, cui facta promisſio, nullo vtrinque accommodato conſenſu, quod conuentionum & pactorum proprium eſt. *L. 3. ff. de Pollicitat. iunct. L. 1. §. 2. ff.*

32 *de Pact.* Guid. Papa *Conſ. 31. n. 11.* (4) Differt *a Pacto adiecto*, quod quidem ſine contractu eſſe nequit, non tamen ad contractum conſtituendum reflectit, ſed ad iam conſtitutum informandum. (5) a *Pacto legi-*

33 *timo*, quod abſolutum eſt, ex ſpeciali lege ſtatim a natiuitate ſua, non

34 ex contractu futuro vires ſuas mutuans. (6) *a Contractu ipſo*, quem pactum hoc præparatorium vnice & vltimo intendit. Id autem quod intenditur, non poteſt idem eſſe ac illud, quod reſpicit, & quod intendit.

35 Diſpeſcuntur hi contractus vulgo in quatuor claſſes: aut enim *do* tibi *vt des*: aut *do vt facias*: aut *facio vt des*: aut *facio vt facias. l. 5. ff. de P. V.* Nic. Mozz. *de Contract. ingen. art. 4.* Donell. *de P. V. c. 1. n.*

36 *3.* Ægid. Coretus *de Contract. innomin. c. 9. n. 32.* Circa hos notandum eſt, quod licet affirmatiue ſint conceptæ, ſi verba inſpiciamus, poteſtate tamen

te tamen etiam negatiuam orationem continean, v. g. Do tibi ne facias: facio ne facias &c. *L. 60. ff. de Condit. & Demonſtr. L. 2. pr. ff. de V. O.* Anton. de Padilla *ad L. naturalis ff. de P. V. n. 21.* Poſſunt iniri hi con- 37
tractus vel per modum v. g. ſi conveniat, do vt des, facio vt facias: vel per conditionem adiectam, do ſi des, facio ſi facias, *L. 5. C. de Rer. permut.* Ad numerum quaternarium quod attinet, Iaſon *ad L. 5. ff. de* 38
P. V. nec natura duce eum augeri poſſe adfirmat, nec vllum dari aut excogitari poſſe, quin ad aliquem ad iſtos quatuor poſſit referri contendit Claſen. *de contract. innomin. th. 31.* alii tamen non augent ſolum illum, ſed & minuunt. Iſti addunt Permutationem & Contractum Aeſtimatorium, quos etiam *irregulares* & *anomolas* appellare ſolent Dd. vid. Lauterb. *in Comp. ff. pag. 392*, imo adhuc plures dari, & addi poſſe adfirmat Greue *ad Inſt. loc. diffic. diff. 11. th. 2.* hi vel eximunt contractum *facio vt facias*, propter *L. 5. §. 3. ff. de P. V.* de quo vid. Tabor *in Element. pag. 186.* Frantz. *ad h. t. n. 41. ſeqq.* vel contractum *Do vt des*, contendentes, cum illo plane conuenire permutationem, Frantz. *d. l. n. 22. 24*: vel contractum *do vt facias*, quem cur prætermiſerit Grotius *lib. 2. cap. 12. §. 3* rationem non video, quum tamen diſerte habeatur in cit. ipſi *L. 5. §. 2. ff. de P. V.* Vid. Hahn. *ad Weſemb. de P. V. n. 2. pag. 528.* An vero Permutatio & Contractus do vt des, diuerſi contractus ſint, a- 39
criter hucuſque diſputatum fuit inter Dd. Diſtinguunt enim vulgo duos hos contractus, vt contractus do vt des adeſſe dicatur, quando genus cum genere permutetur: permutatio vero, ſi ſpecies cum ſpecie. Weſembec. *paratit. de Rer. permut. n. 10.* Ant. Faber. *6. coniect c. 9. circ. fin. & c. 10.* Caſp. Manz. *ad §. 28. Inſt. de Action. n. 12. p. 359.* Treutl. *vol. 1. diſp. 30. th. 7. litt. b.* Io. Honor. van Axel. *in ſumma Decret. tit. de rer. perm. n. 1.* Quod an in Iure fundatum, dubium eſt. Negant ſane Lud. 40
Molina *de I. & I. tom. 2. diſp. 253.* Zoeſ. *ad ff. de Rer. permut. n. 4.* Anton. de Padilla *in L. 5. §. 1. de P. V. n. 9.* Coraſ. *2. Miſcell. c. 15.* Pinell. *ad rubr. C. de Reſc. Vend. c. 4. n. 10.* Perez. *in C. de Rer. perm. n. 5. 10.* del Caſtill. *de Vſufruct. c. 8. aſſ. 223. 226.* Hahn. *ad Weſemb. cit. l.* Struv. *Exerc. 24. th. 16* & alii. Has contentiones vt euitaret Lauterbach. *Comp.* 41
ff. pag. 397 alio modo diuerſitatem horum contractuum euincere conatus eſt, dicendo: interdum rem aliquam dari, vt eadem cum alia reddatur, hoc vtique eſſe articulum Do vel des, ſed non permutationem.

 Quod

Digitized by Google

Quod & ſana ratione defendi forſan poteſt, quia hic nihil permutatur reuera, ſed prior res redditur cum aliquo augmento, licet hoc in facto
42 raro contingat. Verum quum in effectu inter permutationem & contractum do vt des reuera nihil interſit; putarem laboribus hiſce commode ſuperſedere potuiſſe Dd. Vtrobique enim adeſt contractus innominatus, & per conſequens ſecundum iura Romana, in vtroque locus pœnitentiæ. Vid. Ill. Dn. Stryk. *not. ad Lauterb. pag. 397. verb. non*
43 *permutatio.* Vnice adhuc ſcrupulum mouere videtur opinio Dd. quando aſſerunt, contractum do vt des eſſe contractum ſtricti iuris, permutationem vero contractum bonæ fidei. Hopp. *ad §. 28. I. de Action. pag. 928.* Albert. Alderiſius *de Contract. Symbol. tit. 1. c. 15. n. 11.* Lauterb. *Comp. ff. pag. 399.* Quod ſi verum, multum omnino Iuris Romani in effectu intereſſet. Nihilominus tamen, quum ex veriori ſententia etiam contractus do vt des bonæ fidei iudiciis annumerandus veniat, vid. Dn. Stryk. *not. ad Lauterb. pag. 399. verb. ſtricti iuris.* Hahn. *ad Weſemb. de Rer. permut. n. 10*, intereſſe illud, quod inter Permutationem & contractum Do vt des fingunt Dd. etiam ſecundum iura Romana merito ceſſabit.

CAPVT II.

DE POENITENTIA IN CONTRACTIBVS INNOMINATIS DE IVRE ROMANO.

SVMMARIA.

1. *Connexio.*
2. *Contractus nominati quot modis perficiantur?*
3. *Emtio venditio quando perfecta?*
4. *Quando contractus reales?*
5. 6. *Reales in quantum cum innominatis conueniant?*
7. *In quantum a ſe inuicem differant?*
8. *Res integra quandiu cenſeatur.*
9. *An is qui dedit, pœnitere poſſit, ſi accipiens ad dandum paratus?*
10. 11. 12. 13. *Num etiam, ſi accipiens iam ſumtus erogauit?*
14. *An ſi caſu fortuito accipiens impediatur, ne faciat?*
15. *An ſi res tradenda tali caſu periit?*
16. 17. *Quando accipiens pœnitere poteſt.*

18. Num

Digitized by Google

18. *Num heredi dantis pœnitere liceat?*
19. *Pœnitens quomodo animum declarare debeat?*
20. *Cur Romani poenitentiam in his contractibus admiſerint.*
21. *Num ratio naturalis dari poſſit?*
22. 23. 24. *Notatur Dn. Graſſi ſententia.*
25. 26. 27. *Pactum de permutando quomodo a pacto contr. innom. differat.*
28. *Res exemplo declaratur.*
29. 30. *An Romani tali pacto obligationem naturalem ineſſe crediderint?*
31. 32. *Vnde naturalis obligatio æſtimanda.*
33. 34. 35. 36. 37. 38. *In quibus caſibus poenitentia de Iure Rom. locum non habebat.*
39. 40. *An iuramentum de Iure Rom. poenitentiam excludat?*
41. *Confirmatur eorum ſententia, qui obligationem naturalem in his contractibus eſſe volunt.*

DIximus præcedenti capite de origine famoſæ huius diſtinctionis 1
contractuum, qua alii Nominati, alii Innominati appellantur: nunc de inſigni quoque eorum diuerſitate & differentia breuiter dicemus. Notum eſt contractus nominatos vel re, vel con- 2
ſenſu, vel verbis ſolemnibus, vel ſcriptura perfici, vnde Contractus vel reales, vel conſenſuales, vel verbales, vel litterales vocari ſolent §. 2. *Inſt de Oblig.* §. 1. *I. de Fideiuſſ. L.* 52. *ff. de O. & A. L.* 1. §. 1. *ff. de Novat. & eleg.* Hi omnes perfecti cenſentur, ſi ea requiſita adſint, ex quibus oritur obligatio ad agendum efficax. Inde eſt, quod ſi de pretio inter 3
emtorem & venditorem eſt conuentum, perfecta cenſeatur emtio venditio, quum iam ea obligatio adſit, quæ actionem emti venditi producere poteſt. Eſt enim emtio venditio contractus, qui ſolo conſenſu perficitur ad hunc effectum, vt ſubſtantiam capiat obligatio §. *vn. I. de Obl. ex conſenſ.* Contra in realibus, etſi nominati contractus ſunt, nemo ex ſo- 4
la promiſſione e. g. ſe alteri pecuniam mutuo daturum, valide obligatur *l.* 30. *ff. de R. C.* quum contractus reales non conſenſu, ſed re perficiantur, & ideo, antequam res interuenit, nulla adſit efficax obligatio. *L.* 52. *ff.* §. 1. *ff. de O. & A.* Atque in hoc conueniunt contractus reales 5
cum contractibus innominatis, qui omnes non conſenſu, ſed re perficiuntur, vnde etiam eos reales nominant Hahn. *diſſ. de Contr. innomin. th.* 5.

Digitized by Google

th.5.p.145. Gudelin. *de Iur. noviſſ. lib.3. cap. 4*, quum ante rei traditio-
nem aut facti præſtationem non adſit ciuilis obligatio *L. 1. §. 2. de Rer.*
perm. neque in his conſenſu, neque verbis aut litteris illa contrahatur.
6 Inde ſimul conſtat in contractibus innominatis non minus ac in realibus,
antequam res interueniat, vtrique parti liberum eſſe a pacto inito reſilire,
etiam ſine ylla cauſſa. *L.3. c. de Rer. perm.* Mev. *p.3. dec. 27.* Hahn. *diſſ.*
de contr. innomin. th. 20. p. 163, quum nulla ciuili obligatione paciſcen-
7 tes ſibi inuicem obſtricti ſint. In hoc tamen innominati a realibus
differunt, quod etiamſi res iam tradita, is, qui dedit, adhuc pœni-
tere poſſit. *L. 3. §. 1. & L. 5. pr. ff. de Cond. cauſ. dat.* Mantica
de tac. & amb. conuent. lib. 1. tit. 8. n. 13. Molina *de I. & I. tr. 2. diſp. 258.*
8 A parte dantis enim tamdiu res cenſetur integra, quamdiu a parte accipi-
entis nihil datum aut factum. Hactenus enim dans accipienti nondum
obſtrictus eſt, quia dando non id egit, vt ſe alteri, ſed vt alterum ſibi ob-
ſtringeret. Dum ergo alter poenitet, obſtrictum ab obligatione dimit-
tit, quod omnino ipſi liberum erit. *arg. L. 29. C. de Pact.* Hilliger. *in Do-*
9 *nell. lib. 14. cap. 22. litt. B.* Atque hoc in tantum procedit, vt etiam ſi ac-
cipiens ad implendum paratus ſit, nihilominus cogatur reſtituere id,
quod accepit, ſi dans id malit, quam implementum. *L. 3. §. 2. L. 5. pr. ff.*
de Cond. cauſ. dat. quod oblatio non habeat vim implementi. Hilli-
ger *cit. loc. pag. 1208.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. diſp. 2. th. 2. litt. C.* Ne-
gat id quidem Mantica *cit. tr. num. 36*, ſed ex falſo vel ambiguo potius,
10 quod præſupponit, fundamento. Imo etiam adhuc poenitendi licen-
tiam habet is, qui dedit, etſi accipiens ſumtus erogauit, & præparationes
iam fecit in rem tradendam. Clud. *de Cond. cauſ. dat. c. 2. p. 65. n. 161.*
11 Quod ad principale enim negotium res adhuc integra eſt, quamuis præ-
parationes in rem factæ ſint, quum præparationes non ſint implementum
12 contractus. Indemnem tamen accipientem, dum ſumtus erogauit, ſer-
vari debere, ipſa æquitas docet, *L. 5. pr. ff. de Cond. cauſ. dat.* Gomez.
Reſol. Iur. tom. 2. c. 8. C. I. A. *de Cond. cauſ. dat. th. 6*, quum bona fide
ex conuentione inita ſumtus fecit, quod ipſi damnoſum eſſe non debet.
13 Nemo enim conſilium ſuum in alterius iniuriam & damnum mutare
poteſt, *L. 75. ff. de R. I.* Strauch. *in R. I. diſp. 1. §. 6*, & imputet ſibi dans,
quod poenitendo ſuam conditionem iniquiorem fecit. Quod ſi vero
ſumtus in præparationem erogati, tanti ſint, vt totam pecuniæ ſummam
abſor-

Digitized by Google

abſorbeant, nec quod ad principale negotium poenitere licebit. *L.5.pr. verb. te plus forte.* Clud. *ſupr. all. loc.*

14 Hoc ergo certum, quod re integra ſemper poenitere liceat: an vero poenitentia itidem alteri permiſſa, quando caſu fortuito cauſſa, ob quam datum quid eſt, non eſt ſecuta, ſcrupulo non caret. Equidem de eo non dubitamus, quando quid datum, vt aliquid fieret, & caſus contingit fortuitus circa accipientis perſonam, quæ factum promiſit, danti licitum eſſe poenitere. *L.5.pr.ff.de Cond.cauſ.dat* An vero idem iu- 15
ris, quum datum quid eſt, vt rurſus quid detur, & caſus fortuitus contingat circa rem viciſſim dandam, e.g. dedi tibi pecuniam, vt mihi Stichum dares, Stichus moritur, num hoc caſu ex capite poenitentiæ pecuniam repetere poſſim? Sane ex *L. ult. ff. de Cond. cauſ. dat.* ad quam vulgo provocant, id vix probatur, quum & verba legis, quæ ſe in eo fundant, quod cauſſa non ſit ſecuta, & ratio repugnet: ſi enim periculum rei dandæ, quod ad condictionem, eſſet dantis, poenitentia eius non poſſit iniuriam facere alteri, & periculum in eum transferre, *arg. L.5. §.2.ff.eod.* Nec videtur commode dici, aliquem poenitere poſſe, re non amplius exſtante, ſeu rem nolle habere, quæ haberi nequit. Struv. *Ex. 18. th. 12.*

Non minoris dubitationis quæſtio eſt, quum conſtet dantem ſem- 16
per pro lubitu poenitere poſſe, antequam accipiendo ſe alteri obſtringat, num accipiens quoque eadem gaudeat libertate, antequam contractus plene perficiatur? Affirmatiuam ſententiam Gloſſa tenet *ad L.4. C. de P.V.* quam ſequitur Carpzov.*p.2.c.33.def.23.n.5*, quod eatenus admittendum puto, ſi alteri intereſſe præſtet, prout ipſe Carpzov. *c.l.n.6.* ſe explicauit. Obligationi enim, qua ſe accipiens danti obſtrinxit, non minus per præſtationem eius quod intereſt, quam veram & actualem rei traditionem ſatisfit *L.5.§.1.2.5.ff.de P.V.* Dion. Gothofred. *ad h l. litt. K.* Io. Petr. Actolinius *Reſol. For.1.n.84.* Vnde etiam Brunneman. *ad L.4. C.de P.V.n.4*, poſtquam hanc quæſtionem in vtramque partem diſputari, & rationes accommodari poſſe dixit ex illa quæſtione, an venditor exacte rem tradere teneatur, addit: *in contractibus innominatis non eſſe facile permittendum, vt quis præciſe ad dandum compellatur, ſi intereſſe præſtare velit.* Equidem hoc certum eſt, quod accipiens, ſi 17
actione præſcriptis verbis conueniatur, dicere non poſſit, nolo implere,

ſed

Digitized by Google

ſed placet acceptum reſtituere. C. I. A. *de cond. cauſ. dat. th. 5.* Hahn. *ad Weſemb. de P. V. n. 2. p. 530.* Is enim propter συνάλλαγμα & interpoſitum expreſſum conſenſum eſt obſtrictus vel ad rem, vel ad intereſſe præſtandum.

18 Hæc autem pœnitendi facultas ad perſonam dantis adeo reſtricta eſt, vt ipſis oſſibus eius inhæreat, nec ad heredes vllo modo transmittatur. *L. Si quis 3. ff. de ſerv. exportand. L. fin. ff. qui ſine manumiſſ.* Hillig. *in Donell. lib. 14. c. 22. p. 209.* C. I. A. *de cond. cauſ. dat. th. 5.* Frantz. *cod. tit. p. 368. n. 20.* Struv. *Ex. 18. th. 16.* Nec mouet, quod ſicut in omne ius mortui, ita etiam in ius pœnitendi ſuccedant heredes *arg. l. 37. ff. de Acq. vel omitt. hered.* & quod perſonam defuncti repræſentent, isque per heredes adhuc viuere cenſeatur, Schurff. *cent. 3. Conſ. 44. n. 6.* Goden *conſ. 16. n. 41*, ob quas rationes contrariam quoque ſententiam defendunt Iaſon. *ad L. 5. pr. ff. de cond. cauſ. dat. n. 2.* Carpzov. *p. 3. dec. 292.* Clud. *de cond. cauſ. dat. c. 3. n. 51.* Pœnitentia enim actus voluntatis eſt, voluntas vero morte penitus tollitur *L. 32. §. 2. ff. de donat. inter vir. & L. 4. & fin. ff. qui ſine manumiſſ.* Morte ergo dum defunctus contractum approbauit, nec pœnitere voluiſſe præſumi poteſt: quapropter eius factum omnino præſtare tenetur heres. Si vero conſtet defunctum habuiſſe animum pœnitendi, & antequam illum rite declarare potuerit, inter viuos eſſe deſiiſſe, hoc ius præparatum pœnitendi etiam ad heredem deuolui argumento eſſe poteſt *d. L. 32. §. 4. ff. de donat. inter vir. & vx.* Add. Brunnem. *ad cit. L. 3. ff. de Serv. export.*

19 Quocunque vero caſu ius pœnitendi quis habet, pœnitentiam, vt effectum habeat, non in animo retinere, ſed vel verbis vel factis manifeſtare debet. *L. 32. §. 4. ff. de don. int. vir. & vx. L. 22. pr. ff. de legat. 3.* quum non vbique, vti alias regula eſt, taciti & expreſſi eadem ratio. Nec tamen tenetur pœnitens, vt id notum faciat accipienti, Franz. *de Cond. cauſ. dat. n. 18. p. 368.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. diſp. 22. th. litt. C.* niſi accipiens exinde damno affici poſſit, Clud. *de Condict. cauſ. dat. pag. 67*, quum eo caſu intermiſſa certioratio noceat danti, dum ſumtus erogatos reſtituere tenetur, ſi pœnitendo rem datam revocat.

20 Singulare hoc contractuum nominatorum & innominatorum diſcrimen, cur Romani publicis etiam ſanctionibus introduxerint, adeo
21 manifeſtum non eſt. Sane naturalis ratio dari nequit, quare obliget

vali-

Digitized by Google

valide, ſi pro re promittam pecuniam, non etiam ſi pro eadem re promittam aliam rem. Obligatio enim non ex rebus interuenientibus, ſed ex fide data & promiſſione mutua oritur. Hinc quum vtroque caſu eadem promiſſio intercedat, eiusdem quoque efficaciæ obligationem naſci neceſſe eſt. Accedit quod de Iure naturæ propter ſolum conſenſum ad dandum vel faciendum vterque obligatus ſit, nec poſſit pœnitere alter, etiam re adhuc integra, niſi conſentiente altero. Diana *tom. 6. tr. 8. reſol. 43.* Gomez *tom. 2. Var. Reſol. c. 9. in fin.* Io. a Salas *de Camb. dub. 1. ſub fin.* Molin. *d. tr. 2. diſp. 238.* §. 8. Et quamuis Dn. Graſſ. *diſſ. de pact.* 22
fut. contr. præp. th. 30 hoc caſu nec naturalem obligationem adeſſe poſſe putet, quum hoc pactum tantum præparatorium ſit, & futurum contractum reſpiciat; adeoque, quia contrahentes adhuc ſe efficaciter obligare noluerunt, ipſis inuitis obligationis vinculum non ſit iniiciendum, quod etiam exemplo de conuentione in ſcriptis celebranda illuſtrat, quum talis conuentio quaſi pro conditionali & plane imperfecta habenda, antequam ſcriptura interueniat. Hæc enim admitti poſſunt, 23
ſi de mente contrahentium conſtet, ſe ante obligare noluiſſe, quam aut res aut ſcriptura intercedat. Quod ſi vero ſimpliciter pactum concep- 24
tum fuit, nulla mentione facta, ne ante rei præſtationem valeat, vt in contractibus innominatis plerumque fieri ſolet, non video rationem, quare ex tali pacto, in ſe perfecto & deliberato animo inito, nulla naturalis obligatio naſci debeat, etſi de Iure Romano præparatorium tantum ſit, ac futurum contractum innominatum reſpiciat. Nec enim co- 25
incidit hoc pactum cum pacto de permutando, quum in illo adſint res certæ ac determinatæ, adſit etiam conſenſus plenus & perfectus, quantum quisque alteri præſtare debet: in hoc autem res adhuc determinari debent, quum paciſcentes nondum inter ſe conuenerunt, num permutatio e. g. domuum absque additamento aut cum eo fieri debeat. Die Parthen ſind noch nicht einig/ ob ſie gleich auf tauſchen wollen/ oder ob einer den andern etwas zugeben ſoll. Quemadmodum ergo pa- 26
ctum de vendendo tacitam conditionem continet, ſi de pretio contrahentes conuenire poſſint: ita etiam pactum de permutando eandem conditionem habet. Et de hoc pacto verum eſt, quod contrahentibus in- 27
uitis non ſit iniiciendum obligationis vinculum, quum nondum ſe obligauerint ad res tradendas absque vlteriori deliberatione ac conuen-

 tione,

28 tione. Res exemplo clarior erit : Conuenerunt Titius & Caius de
horologio cum annulo permutando, Titius Caio horologium promittit,
Caius e contrario Titio annulum ſuum. Antequam vero Titius horolo-
gium tradit, pœnitentia ducitur, & renunciat pacto celebrato. De iu-
re Rom. ipſi hoc licitum, quia hoc pactum tantum præparatorium fuit,
& permutationis contractus per traditionem initium demum capiat.
Verum an nulla naturali obligatione obſtrictus ſit Titius ad tradendum
horologium, neſcio num a quopiam negari poſſit. Adeſt enim con-
ventio pura, adſunt res determinatæ ac certæ, nec deeſt quidquam, niſi
vt implementum promiſſionis per traditionem fiat. Hoc autem pactum
non dici poteſt pactum de permutando, eo in ſenſu, quo pacto de ven-
dendo comparatur, ſed eſt ipſa permutatio, quum traditio de Iure natu-
rali & gentium non requiratur ad conſtituendam obligationem.

29 Id tantum adhuc obſtare videtur, quod ipſi Romani tali pacto
nullam obligationem naturalem ineſſe crediderint. Nam quum de
Iure ciuili pacta nuda ad excipiendum proſint, ita vt res tradita & ſo-
luta repeti non poſſit *L. 7. § 4. ff. de Pact.* ſine dubio, aiunt, in con-
tractibus innominatis idem permiſiſſent, ſi æqualis foret obligatio. E-
30 quidem fateor, Romanos pactis nudis & compenſandi & excipiendi po-
teſtatem reliquiſſe, propter obligationem, quam a natura habent, Iul. a
Beyma *tr. de Vſur. th. 5,* inde tamen non puto recte concludi, quia in
contractibus innominatis id non permiſerunt, propterea in illis quo-
que nulla adeſt naturalis obligatio. Eadem enim facilitate, qua pacta
nuda agendi facilitate priuarunt, etiam contractus innominatos exci-
piendi poteſtate priuare potuerunt, ſalua tamen obligatione naturali.
31 Hic enim non tam diſpoſitio Iuris Ciuilis conſideranda venit, quam
potius ipſa natura negotii, & animus contrahentium, quid hi probabi-
liter hoc pacto intendunt. Sine dubio autem vera intentio contra-
hentium eſt, vt contractus ab vtraque parte perficiatur. Vterque enim
animum contrahendi declarat, dum alter rem tradit, alter eam accipit.
32 Vbi ergo idem animus adeſt, idem propoſitum, æqualis actio, eadem
quoque obligatio adeſſe debet. Nec dici poteſt, quod dans accipientem
ſolum ſibi obſtringere voluerit, ita vt ipſe non obligetur accipienti,
quum dans multo magis obſtringatur accipienti, quod plus temporis
deliberandi habuit, an ſibi hoc expediat, quam accipiens.

Imo

Digitized by Google

Imo & ipſos Romanos hoc vinculum naturale agnouiſſe ſuffici- 33
enti documento eſt, quod in multis caſibus propter ſummam æquita-
tem & ſingularem cauſſæ fauorem, nec in his contrctibus pœnitentiam
admiſerint. Ita enim pœnitentia locum non habebat (1) in Transacti-
one *L. 39. C. de Transact.* etiamſi res adhuc integra, Io. Bolognett. *in
rubr. ff. de V. O. n. 371*, ſiue agatur in illa de liberando, ſiue de obligando,
Mantica *de tac. & amb. conuent. l. 1. c. 8. n. 38*, quod odio litium ſpeci-
aliter introductum, ne lites ſemel deciſæ inſtaurentur. Mantica *c. tr. l.
26. c. 1. n. 6.* (2) ſi expreſſe conuenerint contrahentes, ne locus ſit pœ- 34
nitentiæ. Decius *Conſ. 340. n. 4.* Brunnem. *ad L. 1. ff. de Rer. perm. n. 7.*
(3) ſi contractus ille cum Eccleſia ſeu piæ cauſſæ gratia fuerit celebra- 35
tus, e. g. ſi darem Eccleſiæ pecuniam, vt veſtiantur pauperes. *L. 36. pr.
C. de Donation.* Tiraquell. *de priuil. piæ cauſ. priv. 133.* (4) in promiſſi- 36
one dotis. *L. 9. §. 1. ff. de Iur. Dot. L. 10. ff. de Sponſal.* Bald. Nouellus
de Dote p. 6. privil. 5. Pet. Barboſa *ad rubr. ff. de Solut. Matrim. p. 4.
n. 37*, & hoc propter ſingularem fauorem dotis ne mulier maneat indo-
tata. Menoch. *Conſ. 92. n. 79.* Richter. *de Contract. diſp. 1. th. 2.* (5) ſi 37
factum concernat contractus, & initium capiat per factum. Tuſch.
Concl. 998. litt. c. n. 26. Decius *conſ. 340. n. 40.* Facta enim condici ne-
queunt, quum non poſſint pro infectis haberi, *arg. L. 25. de P. V. iunct.
L. 12. §. 2. ff. de Capt. & poſtlim.* Albert. Alderiſ. *de Contract. Symbol.
tit. 1. c. 3. n. 50.* Vinn. *lib. 1. quæſt. ſelect. 46*: niſi factum eiuſmodi ſit, quod
repeti poſſit, nimirum ſi vi illius facti aliquid in aduerſarium collatum
ſit. *L. 4. ff. de Condict. cauſ. dat. iunct. L. 115. de R. I.* Fromman *d. ff. de
diff. inter Contract. nomin & innomin. th. 33.* Hahn. *ad Weſemb. de P.
V. n. 6.* (6) Si ſtipulatio tali contractui acceſſit. Aug. Barboſa *ad L. 4.* 38
C. de Rer. permut. n. 3. Carpzov. *p. 2. Conſt. 33. def. 23. num. 8.* Hahn. *ad
Weſemb. de V. O. n. 1*, propter expreſſam *L. 3. C. de Rer. perm.* vbi
Sichard. *n. 2.* ſubiicit, hanc ſtipulationem fortius ligare promittentem,
quam ipſam rei ex cauſſa permutationis factam traditionem: quam-
vis tunc non tam contractus innominatus, quam ſtipulatio ex cauſſa
talis contractus celebrata eſt, & propterea non actio præſcriptis ver-
bis, ſed ex ſtipulatu producatur. Anton. Faber *in Cod. lib. 4. tit. 20. def.
1. n. 3.* Carpzov. *cit. loc.* Addunt alii inſuper Iuramentum, quod ſi 39
contractui innominato adiectum fuerit, itidem pœnitentiam de Iure

Romano excludat, prout contendunt Bald. *in L. pen. C. de recept. arbitr.* quem citat Crauett. *conſ. 657. n. 47*, & Bartol. *in L. 7. §. 5. ff. de Pact.* allegante Hahn. *ad Weſemb. ff. de Pact. n. 2. p. 188*, ſed ſine omni ratio-
40 ne ac lege. Nullibi enim in LL. ciuilibus reperitur, iuramentum modum eſſe fouendi aut veſtiendi pactum, adeoque, vti promiſſorium Iure ciuili nudæ promiſſionis vices agere recte dicitur, Franz. *ad ff. de Iureiur. n. 49.* Gomez. *Var. Reſolut. tom. 2. c. 11. n. 5*, ita confirmatorium Iure ciuili nihil ciuile addit *L. 26. pr. ff. de fideiuſſ. L. 5. C. de LL.* Præſupponit enim iuramentum ſemper actum per ſe validum, Couarr. *ad c. quamuis p. 1. §. 4. n. 4.* Frantz. *cit. loc. n. 51*, quum omnes qualitates & conditiones induat illius actus & contractus, cui accedit. Rol. a Valle *lib. 3. Conſ. 7. n. 62.* Octav. Cacheran. *dec. 41. n. 5*: inde pactum inualidum nunquam per Iuramentum corroboratur. Pariſ. *conſ. 12. n. 76.* Claſſen. *de Contract. innom. th. 27.*

41 Rectius igitur ſentiunt Ferdinand. a Mendoza *lib. 3. diſp. 30. c. 2. n. 3*, & Evvald. Marchius *tr. de Iuſt. & Iur. cap. 17. pag. 197*, qui ex contractibus innominatis ſtatim oriri obligationem naturalem adfirmant ex ſolo pacto, quod iis ineſt, etſi neque res, neque factum ab vlla parte præſtitum ſit. Vera enim huius diuerſitatis ratio e ſolis Romanorum placitis deducenda. His placuit quoſdam contractus nominatos vocare, alios innominatos: in his pœnitentiam admittere, non in illis, qui ob quam cauſſam id introduxerint, non multum nobis intereſt ſollicite inquirere, præſertim quum expreſſe ſcriptum ſit, non omnium, quæ a maioribus excogitata ſunt, reddi poſſe rationem. *L. non omnium 20. ff. de LL.*

CAPVT III.

DE POENITENTIA IN CONTRACTIBVS INNOMINATIS DE IVRE HODIERNO.

SVMMARIA.

1. Iuris mutatio non temere iectanda.

2. 3. 4. 5. 6. Ius ciuile in quantum in foris German. receptum?

7. Reſpectu Germaniæ extraneum eſt.

8. LL. Germanicæ Imperii Conſtitut. confirmatæ.

9. 10. 11.

9.10.11. Quodnam ius in ſubſidium valeat?
12. In Saxonia ius Rom. ſubſidiarium eſt.
13.14. Quod etiam de aliis prouinciis affirmatur.
15. Subtilitates pactorum in foris Germ. exiguum prabent uſum.
16.17. Germanis ſemper religioſum fuit fidem fallere.
18. Pactorum diuiſiones ipſis incognita.
19.20. Nudum pactum & ſtipulatio hodie non differunt.
21.22.23. Num in contractibus innomin. hodie pœnitentia locus?
24. Negantium ſententia approbatur.
25.26. Et rationibus confirmatur.
27.28.29.30.31.32. Ad argumenta diſſentientium reſpondetur.
33. Pactum & contractus innom. adhuc hodie differunt.
34. Ex pacto contr. innom. datur condictio ex moribus.
35.36.37.38.39.40. Reſpondetur Dn. Graſſo diſſentienti.
41.42. Permutatio hodie contractus conſenſualis eſt.
43. Obi. Ius Ciuile hoc in caſu non eſſe mutatum.
44.45.46. Reſpondetur ad hanc obiectionem.
47. Pœnitentia, etſi res adhuc integra, hodie locum non habet.
48. Multo minus, ſi ab vna parte contractus impletus.
49. Differentia contractuum hodie non eſt ſublata.
50.51. Emtio venditio etiam hodie a permutatione differt.
52. In emtione venditione, vt periculum ante traditionem emtoris ſit, an ex natura contractus fluat?
53. Negatur.
54. Concluſio.

NOn temere iuris alicuius mutationem iactandam eſſe, antequam illa penitus probata, commune Dd. brocardicon eſt, quum nulla re magis, quam deſultoria facilitate, mutandi iuris, euileſcat eius auctoritas, & hominibus non ſolum eius obſeruatio, ſed & notitia excutiatur. Hoc monitũ ICtorum obſeruaturi, dum de Pœnitentia in Contractibus innominatis agimus, quatenus in foris noſtris hæc locum habeat, ne forte ſimilis temeritatis accuſemur, de auctoritate Iuris 1
Ciuilis in Germania breuiter nobis dicendum erit. Offert autem ſe mox ab 2
initio grauis controuerſia, quæ Dd. mirum in modum hucusque exercuit, an ſcilicet Ius ciuile in vniuerſum hodie ita receptum ſit, vt niſi ex-

Digitized by Google

preſſe per nouas Conſtitutiones ipſi derogatum, plenam vim obligandi habeat? Quod ſi enim hoc eſt, prout multi IC. contendunt, non dubitandum erit, quin omnes hæ recenſitæ Iuris ciuilis ſubtilitates adhuc ſancte obſeruari debeant. Hæc igitur vt eo accuratius pertractemus, de prima Iuris ciuilis receptione neceſſario nobis exordien-
3 dum eſt. In hoc autem omnes conuenire video, nulla publica ſanctione Ius Romanum in Germaniam introductum fuiſſe, ſed ex Academiis in curias Germanicas ſenſim irrepſiſſe, ac tandem expreſſo Imperatoris conſenſu tempore *Ordin. Cam. & Conſt. Maximil. I. de A. 1495* confirmatum fuiſſe. Lehman. *lib. 4. Chron. Spir. cap. 21. p. 337.* Conring.
4 *de O. I. G. cap. 33.* Num vero eo ipſo Romana iura ita in omnibus materiis recepta ſint, vt citra omnem reſpectum vel ad alia Germaniæ iura, vel ad ſtatum Reipubl. noſtræ, exacte ſecundum illa iudicari debeat, an vero in tantum modo, in quantum moribus patriis non ſunt contraria, quod innuere videtur, Lehman *cit. loc.* maxime hodie contro-
5 verſum eſt. Equidem fateor nusquam in Conſtitutionibus Imperii diſtingui, quod ius Romanum pro hac parte receptum ſit, pro illa non: tamen etiam nullibi dicitur quod vniuerſum Ius ciuile, & omnes illius textus in vim legis recepti, & Germanorum veteres leges abrogatæ ſint.
6 Vbi ergo de domeſtici iuris abrogatione nihil neque expreſſe, neque tacite actum, receptio iuris extranei ſemper cenſetur facta in ſubſidium, & ſaluo iure populi domeſtico. Dn. Scheineman. *diſſ. de Auctor. LL. civ. extra territ. legisl. c. 2. §. 5.* Leges enim alterius populi tamdiu pro non receptis habendæ, donec earum receptio, quæ facti eſt, probe-
7 tur. Quum ergo conſtet, ius Romanum in ſe fuiſſe extraneum, nec Iura Germanica, quæ olim viguerunt, poſt receptum Ius Romanum, vlla conſtitutione abrogata eſſe, quod etiam Conring. *cit. loc. pag. 219* teſtatur; ſine dubio Ius Romanum tantam in Germania auctoritatem non habebit, vt neglectis noſtris domeſticis iuribus ac conſuetudinibus vnice ſecundum illa viuere teneamur. Imo confirmant potius Imperii Con-
8 ſtitutiones Iura Germanica, quemadmodum in iudicando quoque ea obſeruari voluit Carolus V Imp. in *Conſtit. de A. 1548. §. 23,* ubi promittit, ſe conſtituturum Aſſeſſores die Teutſcher Nation Gewohnheit wohl erfahren ſeyn. Add. *Conſt. Crimin. in praef. Ord. Cam. de A. 1555. p. 1.*
9 *l. 13. §. 1. Rec. Imp. de Ao. 1654. §. 104.* Et quamuis regeri ſoleat, admitti

qui-

Digitized by Google

quidem poſſe, quod leges Germaniæ veteres non ſint abrogatæ, non au-
tem eſſe probatum, quod Ius Romanum tantummodo in ſubſidium ea-
rum in foro introductum ſit, quum nusquam in allegatis Conſtitutioni-
bus id definiatur, & idcirco adhuc dubium eſſe, quodnam ex his duobus
iuribus alteri ſit ſubſidiarium? Ad quod reſponderi poteſt, quod eo 10
ipſo, dum de hoc dubium ſupereſt, pateat, quod LL. Germanicæ, quum
neque expreſſe, neque tacite abrogatæ ſint, pro iure principali haberi
debeant, per ſupr. alleg. *diſſ.* Dn. Schwineman. §. 5. Et confirmat nos ple- 11
nius in hac ſententia *Ordin. Iud. Aul. tit. 1.* §. und weilen/ in qua Aſ-
ſeſſores in ferenda ſententia obſeruare iubentur, Receſſus Imp. Iura
prouincialia & Conſuetudines, und dann in Mangel derſelben die
Keyſerl. Rechte. Ex quibus luculenter apparet, quod demum defi-
cientibus Germaniæ Iuribus ac Conſuetudinibus ſtari oporteat Iuri Iu-
ſtinianeo. Dn. Stryk. *de Vſu & Auct. Iur. Rom.* §. 28. De Saxonia ſane 12
eo minus dubium ſupereſſe poteſt, quum vnicuique analphabeto non in-
cognitum ſit, Saxones ſuis legibus viuere. Habet etiam hic noſter 13
Ducatus Magdeburg. ſuas LL. & Iura prouincialia, quibus deficientibus
demum ad Ius Ciuile recurri ſolet. *Ord. Polit. Magdeb. in proœm.* De
Ducatu Luneburgenſi teſtantur *Ord. Iud. Aul. Hannov. tit. 3 & 13. Or-
din. Cancell. Wolffenbutt. art. 54.* Vt taceam de prouinciis, in quibus 14
Ius Lubecenſe, aut etiam adhuc Sueuicum Speculum viget, de quibus
Goldaſt. in præf. der Reichs-Satzung videri poteſt. Atque hæc in ex-
emplum adduxiſſe ſufficiant, quum operæ pretium non ſit, etiam alio-
rum principatuum & vrbium conſtitutiones in medium adferre. Add.
Arthur. Duck. *de Iur. Civ. Auctor. l. 2. c. 2. §. 9.*

Hæc autem quum ita ſint, non puto quemquam inficias ire poſ- 15
ſe, omnes iſtas ſubtilitates, quibus Romani pacta & contractus inuolue-
runt, in foris noſtris exiguum vſum præbere. Stamus enim hodie ſim- 16
plicitate Maiorum noſtrorum, de qua Tacitus in eleganti tr. *de Morib.
Germ. c. 24* inſigne teſtimonium exhibet, quod fidem etiam in alea da-
tam violare religioni duxerint. Quod ſi vero in rebus ludicris tanta 17
religione fidem datam exſoluerunt, quis dubitabit in pactis & contra-
ctibus, eam multo religioſius coluiſſe? Teſtatur id ſatis abunde Cæſar
lib. 6. de Bell. Gall. cap. 23, quod is, qui ſemel tantæ temeritatis fuit, vt
fidem datam violaret, in proditorum numero habitus, & omnium re-

rum

Digitized by Google

18 rum fides ipſi poſtea abrogata fuerit. Teſtatur etiam ſingulæ vete-
rum Germanorum LL. quæ ad nos peruenerunt, e. g. Viſigothorum,
Longobardorum, Alemannorum &c. etiam notisſima Specula, Saxoni-
cum & Sueuicum, nullam differentiam inter pacta, nullam diuiſionem
contractuum ipſis cognitam fuiſſe: ſolo placito, ſola & ſimplici pro-
miſſione obligatio conſtituebatur, ita vt ſub Germana fide quidquam
19 promiſiſſe obligationis infallibilis indicium fuerit. Ex hoc igitur fun-
damento deſcendit commune ICtorum axioma, quod hodie nudum
pactum eiusdem efficaciæ ſit, quam olim ſtipulationes apud Romanos
habuerunt, in quo principes ICtorum conſentiunt, Carpz. *p. 2. Conſt. 19.*
20 *def. 17.* Weſemb. *ad ff. de Pact. n. 10.* Hahn. *in Obſ. in h. l.* Struv. *Ex. 6.*
th. 13. Mev. *p. 5. dec. 507.* Lauterb. *Ex. 8. Concl. for. 9. tit. 6.* & qui inſtar
omnium eſſe poteſt, Ill. Dn. Stryk. *Vs. Modern. ff. de Pact. n. 3,* cum plu-
ribus aliis, ita vt etiam vnicuiuis analphabeto hoc iam tum innotuiſſe
pronunciet Lambert. Goris. *Aduerſ. c. 4. tr. 1,* teſte Regner. *ad I. diſp.*
15. th. 13. Quidquid ergo huic ſententiæ, quod nudum pactum cum
ſtipulatione ratione effectus conueniat, in Iure Romano ad-
21 verſatur, illud ſine dubio hodie non obtinebit. Quamuis autem in
hac theſi probanda non adeo laborandum nobis eſt, quum pauci Dd.
ſint, qui ab hac ſententia diuortium faciant; in eo tamen maiori vehe-
mentia hucusq; diſputatum fuit, an ſuppoſita hac ſententia, inter contra-
ctus nominatos & innominatos ratione pœnitentiæ adhuc aliquid inter-
22 ſit? Multi adfirmant, & non minus hodie ac olim pœnitendi facultatem
in contractibus innominatis indulgent: Carpz. *p. 2. Conſt. 33. def. 23.* Mev.
p. 8. dec. 319. n. 2. Hahn. *ad Weſemb. de P. V. n. 1,* qui tamen a ſe ipſo quaſi
deficit, vid. *tit. de Pact. n. 9. p. 201.* Lauterb. *diſſ. de Arrha th. 102.* From-
man. *diſſ. de Conuent. in ſcript. th. 37.* Dn. Lyncker, *Anal. ad Struv. de*
23 *Pact. th. 32.* Graſſ. *diſſ. de pact. fut. contr. præp. th. 35.* & alii. Plures con-
tra pœnitentiam non concedunt, Molina *de I & I. tr. 2. diſp. 258.* Gomez.
Var. Reſol. tom. 2. c. 8. num. 4. Diana *tom. 6. reſ. 43.* Virg. Pingitzer.
quæſt. 42. Hartm. Piſtor. *O. 167. n. 9.* Wiſſembach. *ad ff. de Rer. perm.*
th. 11. Gudelin. *de Jur. Noviſſ. lib. 3. c. 5.* Dn. Stryk. *Vſ. Modern. de Pact.*
th. 5, & multi alii, quos refert Groenweg. *de LL. abrog. ad L. 5. ff. de*
24 *Cond. cauſ. dat.* In tanto autem ICtorum diſſentientium conflictu,
cui parti accedendum ſit, ex antecedentibus non difficile iudicandum
fore

Digitized by Google

fore exiſtimo. Nam ſi ponamus Ius Romanum in ſubſidium tantum in foris noſtris eſſe receptum, quod de Saxonia & aliis ſupra memoratis prouinciis indubitato verum eſt, veteres autem Germanorum LL. a tantis ſubtilitatibus abhorrere, nec diſtinguere contractus ſiue nominati ſint, ſiue innominati, ſed ex omni pacto validam oriri obligationem velint, non video ex quo capite affirmantium ſententia defendi
poſſit. Pactum enim nudum contractibus innominatis ineſſe omnes 25
concedunt: nec inficias eunt tale pactum hodie obligationem producere: at valida obligatio, qualis apud Romanos ſtipulatio eſt, pœnitentiam excludebat, vt ſupra *cap. 2* probauimus, cur igitur eandem non
pactum excludet? Si enim pacta nuda hodie eiusdem ſunt efficaciæ, 26
ac ſtipulationes olim apud Romanos fuere, quod ipſe Hahn. *ad Weſenb. de V. O. n. 12* & Carpz. *p. 2. Conſt. 19. def. 17. n. 8* fatentur, ſane infallibili nexu fluit, ex ſolo pacto, quod omnibus innominatis contractibus ineſt, hodie actionem naſci & propterea amplius locum non
eſſe pœnitentiæ. Nexum argumenti omnes vident, ob quam cauſſam 27
admittere quoque coguntur, quod pactum excludat pœnitentiam, neſcio tamen quo amore erga Ius Romanum nouis ſubtilitatibus rem claram inuoluere ſtudent, ſolum, vt iterum neceſſitatem imponant recur-
rendi ad Ius ciuile. Diſtingunt enim pacta in *ſimplicia* & *reſpectiua*: 28
ſimplicia cum ſtipulatione comparant, reſpectiua vero nec iure naturali obligationem producere poſſe contendunt: & idcirco ſi nouum ſimplex pactum contractui innominato ſuperadditum fuerit, pœnitentiam, perinde ac ſi ſtipulatio addita eſſet, locum non habere, quod ſecus, ſi tantum reſpectiuum pactum adſit, quale adeſſe ſolet in omnibus contractibus innominatis. Dn. Graſſ. *cit. diſſ. th. 33.* Fecimus iam ſupra *cap. 2* huius diſtinctionis mentionem, & exemplo demonſtrauimus, debili omnino eam fundamento niti, ſi a Romanis LL. recedamus. Accedit, quod ſi pacta nuda tunc demum in praxi producant actionem, ſi non ſint præparatoria ſeu reſpectiua, nulla fere pacta nuda effectum habeant, quum vix vllum pactum ſit, quod non intendat aliud negotium, & ſic per illam limitationem tota regula tolleretur, quod hodie ex omni pacto deliberato animo inito detur actio. Quod ſi vero tantum ea pacta præparatoria eſſe dicamus, quæ contractum innominatum intendunt, vnice intuitu Iuris ciuilis præparatoria erunt e. g. Seius & Caius de domibus permutandis conueniunt, etiam diem traditioni deſtinant,

 im

glichen/ adſunt res determinatæ, die vertauſchten Häuſer/ nec quid-
quam reſtitit, quam ſola traditio. Si ergo vnus ex contrahentibus loco 40
domus certum pretium promiſiſſet, ſine dubio pœnitentia locum non
haberet: ratio, quia tunc non contractus permutationis, ſed emtionis
venditionis celebratus ſit, emtio autem contractus conſenſualis eſt, qui
ſolo conſenſu ſine traditione perficitur. Sed quis non videt hanc ratio-
nem mere ciuilem eſſe? Quid enim obſtat quo minus hodie permutatio- 41
nem contractum conſenſualem dicamus? Nam quum in eo conſenſua-
lium contractuum vis conſiſtat, vt ex ſolo conſenſu inducatur obligatio, 42
citra vllius rei traditionem, §. *vn. I. de Oblig. ex conſenſ. L. 2. §. 1. ff. de
O. & A.* conſenſus vero in quocunque alio contractu pariter adeſſe de-
beat, hic ſine dubio eandem hodie obligationem producet, quam in con-
tractu conſenſuali. Illuſt. Dn. Stryk. *U. Modern. ff. de Pact. n. 7.*

Sed inſtant diſſentientes, Ius ciuile tamen nullibi hoc in caſu per 43
Receſſus Imp. aut Statuta particularia mutatum reperiri, ergo ei tamdiu
inſiſtendum eſſe, donec mutatio probetur, præſertim quum magna alias
iuris incertitudo inde oriatur, & perpetuæ iurium colliſiones, quum Ius
Romanum inter ſe cohæreat, & ſic vna eius parte mutata, ruptoque adeo
nexu, infinitæ aliæ concluſiones corruant. Sed hæc inſtantia quo com- 44
munior eſt, eo minus valido videtur nobis niti fundamento. Si enim po-
namus pactum nudum contra tenorem Iuris ciuilis hodie efficacem obli-
gationem producere, omne illud, quod huic theſi in Iure Ciuili aduerſum
eſt, pro non recepto habendum. Vnde non de mutatione Iuris Ciuilis, 45
ſed de receptione eius hoc in caſu probanda agendum erit. Vbi autem
ſpeciali ſtatuto illud receptum, quemadmodum de Ducatu Wurtemb.
hoc notum eſt, vid. Würtemb. Landr. *part. 2. tit. 21. pr.* Wann
einer den andern einen Tauſch verſpricht/ mag ein ieder ehe und dann
ſie ein ander die getauſchte Haabe übergeben/ von den Tauſch abſte-
hen/ ibi nullum dubium, quin hodie hoc in caſu Ius ciuile obtineat. Nec 46
vero ex hac noſtra ſententia iuris incertitudo metuenda eſt, quum mores
Germaniæ hac in re certiores & notiores ſint, quam ſubtilitates iuris Ro-
mani, & maior iuris certitudo oriatur, ſi ſimplicitati iuris naturæ, quod ad
materiam pactorum, quam iuri Romano inhæreamus.

Apparet ergo ex iam dictis pœnitentiam hodie in contractibus in- 47
nominatis locum habere non poſſe, etſi res adhuc integra, & a neutra par-
te quidquam præſtitum, niſi communem ſententiam, quod hodie ex pa-

cto

Digitized by Google

ſto nudo detur actio, ſimul exterminemus. Ex hoc enim principio illud tam naturali nexu fluit, vt non poſſit ab eo ſeparari, niſi ipſum iſtud
48 principium vna ſubuertamus. Quod ſi ergo ab vna parte contractus iam impletus, multo minus pœnitere licebit. Quo clarius enim de animo deli-
49 berato conſtat, eo magis obligatus eſt paciſcens ad fidem ſeruandam. Non tamen exinde contractuum differentiam ſublatam eſſe cenſemus, ſed manent adhuc a ſe inuicem diſtincti, quum non in ſola facultate pœnitendi
50 hæc quærenda ſit. Atque ita emtio venditio a permutatione multis modis adhuc differt, etſi ratione pœnitentiæ cum ea conveniat. vid. Albert. Al-
51 deriſ. *de Contract. Symbol. tit. 1. c. 11. n. 23.* Sic enim ius Retractus conuentionale locum habet eo ſolum caſu, quo res extraneo venditur, non ſi ex permutatione ad alium perueniat. Carpz. *p. 2. C. 32. def. 14.* Struv. *Ex. 23. th. 49.* Virgil. Pingitz. *qu. 36 n. 21.* Sic in emtione venditione periculum ſtatim eſt emtoris, etſi ab vtraque parte nihil adhuc præſtitum *§. 3. I. de Emt. Vend.* At in permutatione ante traditionem periculum poſſeſſor ſeu dominus ſuſtinere debet, quia in permutatione id tacite actum videtur, ſi & ab altera parte contractus impleatur. Quod ſi non poſſit impleri ob caſum interuenientem, ceſſat conditio promiſſionis, quia in hunc euentum alter ſe nunquam obligauit. Ill. Dn. Stryk. *de Caut. Contract. ſect. 3. c. 5. n. 5.* Verba enim contrahentium latius extendi non debent interpretando quam illorum animus fuerat, ex verbis, natura contractus & circum-
52 ſtantiis agnoſcendus. Quod autem res periculo ſit emtoris, antequam ea tradatur & dominium tranſeat, non ex natura contractus fluit, ſed com-
53 mentum eſt Iuris ciuilis, vt Grotius ait *lib. 2. c. 12. §. 15*, eamq; ob cauſſam LL. de emtione diſponentes ad permutationem non ſunt extendendæ. Diſſentiunt equidem a Grotio Molina *de I. & I. tr. 2. diſp. 366. n. 11.* Hahn. *ad Weſemb. de Contr. Emt. n. 10.* & Io. Reinh. Hedinger. *in Conſpect. Iur. Nat. tit. 27. n. 4*, eorum tamen argumenta tanti eſſe non reor, vt nos a Grotii noſtri ſententia amouere poſſint. Satisfecit etiam illis iam tum Dn. Henninges *ad lib. 2. cap. 12. pag. 592*, ad quem cupidum lectorem
54 remittimus. Et hæc ſunt B.L. quæ de hac materia tuo iudicio ſubiicere volui. Modeſta libertate vſi ſumus, quam a Te viciſſim nobis promittimus. Tu vero, benigniſſime DEUS, qui vires nobis de cælo largitus es ad hæc ſtudia rite noſcenda & pertractanda, conſerua nos porro in luce ac veritate. Sic grates æternum dicemus, ſic honor & gloria conſtabunt in excelſis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google